

Q.R. 520,

B. m. II, 449. R. m. II,

II a  
481

COMMENTATIO  
DE  
NATALITIIS ARTIVM  
SPECIATIM  
ARTIS TYPOGRAPHICAE

INVITATIONI  
AD PANEGYRIN SOLLEMNEM  
FESTO HVIVS SAECVLARI TERTIO

AVSPICIIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
FRIDERICI TERTII  
DVCIS SAXONIAE

IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE ET WEST-  
PHALIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MIS-  
NIAE, PRINCIPIS DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE,  
COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE  
RAVENSTEINII ET TONNAE  
DOMINI NOSTRI ET PATRIS PATRIAE  
CLEMENTISSIMI

DIE XI. IVL. A. CID IS CC XL.  
HORA VIII. MATVTINA


IN ILLVSTRI GYMNASIO GOTHANO  
HABENDAM

PRAEMISSA

A

IO. HENR. STVSS  
GYMN. RECT. ET SOCIET. REG. PRVSS. SCIENT. SOC.

GOTHAE  
LITTERIS REYHERIANIS.



14  
CIVITATIS

MAGISTRATUS

ACTUS

RECTORIS

FRIEDERICI

BOLESLAVI

IN

CL

I  
II  
III  
IV  
V  
VI  
VII  
VIII  
IX  
X  
XI  
XII  
XIII  
XIV  
XV  
XVI  
XVII  
XVIII  
XIX  
XX  
XXI  
XXII  
XXIII  
XXIV  
XXV  
XXVI  
XXVII  
XXVIII  
XXIX  
XXX



# Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

- |   |   |
|---|---|
| <p>I. <i>Occasio scriptiois.</i></p> <p>II. <i>Natalitia artium varia apud antiquos.</i></p> <p>III. <i>Praecipui inuectores artium in sacra scriptura memorati, vnde fabulosi gentium dii efficti.</i></p> <p>IV. <i>Ad natalitia artium relatae sollemnitates ac epulae, collegiis artificum atque opificum propriae apud antiquos.</i></p> <p>V. <i>Item apud recentiores.</i></p> <p>VI. <i>Inuentio artis scribendi Iosepho patriarchae vindicata.</i></p> | <p>VII. <i>Inuentor chartae hodiernae, per saecula circiter octo vsitatae, plane incertus.</i></p> <p>IIIX. <i>Artis typographicae encomium.</i></p> <p>IX. <i>Breuis inuentionis eiusdem historia.</i></p> <p>X. <i>Typographi omnium celeberrimi paucis memorati.</i></p> <p>XI. <i>Festum saeculare quam ob causam hoc anno agatur.</i></p> <p>XII. <i>Inuitatio ad panegyrim sollemnem.</i></p> |
|---|---|

## I.

**F**ESTVM SAECVLARE NATALITIVM ARTIS TYPOGRAPHICAE, plaudente vniuerso senatu populoque litterario, iam peragunt, qui artem hanc, propagandis, amplificandis, euehendis artibus optimis natam, gnauiter feliciterque exercent. Cum itaque inter hosce tam iustos, tam longe lateque resonantes orbis eruditi plausus, nefas omnino sit Gothanas filere Musas, quae beneficio huius artis largius frui queunt, quam aliae, quibus tam proluxa magnorum Principum, qualis est SERENISSIMI NOSTRI FRIDERICI III. munificentia haud obtingit, tamque diuites librorum thesauri, quales FRIDENSTEINENSE ornant PALATIVM, in vsus exoptatissimos haud patent; cumque, auspiciis eiusdem CLEMENTISSIMI PATRIS PATRIAE, & AVCTORITATE ILLUSTRIS AC SVMME VENERANDI SENATVS ECCLESIASTICI FRIDENSTEINENSIS, celebrandam ea propter in Gymnasio panegyrim indicere meum sit: argumento, aliquot commentationibus haectenus illustrato, consentaneum existimaui, de natalitiis

litiis artium nonnulla ante exponere, quam illa olim laboriosa & sollicita, hodie gloriosa artis typographicae incunabula speciatim attingam.

II. Natalitia vero artium dico non solum festa illa, quibus memoria inuentarum artium hilaritate quadam publica, tempus, quo repertae primum sunt, respiciente, celebratur; sed ea etiam, quibus inuentori, inter deos olim relato, aut patrono & ditio tutelari artis cuiusdam anniuersarius, non sine epulis post sacrificia, praestitus olim est a gentibus profanis, hodieque ab earum imitatoribus pontificiis praestatur cultus. Huc etiam refero conuentus, maxime ad indulgendum genio, & strenue epulandum, collegiis & corporibus artificum aut opificum, ex instituto & more antiquo proprios ac sollemnes. Ad primum genus huiusmodi natalitiorum quod attinet, vix vlla in antiquitatum monumentis eorum occurrunt exempla, neque occurrere facile possunt; cum incerta, nec notatione anni, mensis, aut diei signata sint tempora, quibus pleraeque artes sunt inuentae. Iubalem, vnde suum poetae effinxere Apollinem, patrem fuisse tractantium citharam & organum, hoc est, inuentorem, certe ex parte, musicae instrumentalis; item Tubalcainum, vnde effectus est Vulcanus, fuisse principem artificem omnium elaborantium aes & ferrum, historicorum omnium princeps Moses <sup>(a)</sup> refert. Sed quo anno ab orbe condito hae artes sint inuentae, & quae in earum memoriam celebrata sint festa, non commemorat. Artium ferme omnium & opificiorum originem e primo Mosis volumine scite eruit magnus ecclesiae nostrae theologus, AVGVSTVS PFEIFFERVS in *Pansophia Mosaica e Genesi delineata*, *Alstedii Triumphum biblicum* in multis secutus: at de earum natalitiis nihil habet. Non tamen inde consequitur, nulla omnino ea fuisse; nec certo tempore gratias pro inuentione tot rerum atque artificiorum, vitae

(a) *Gen. IV, 21. 22.*

vitae humanae vsibus & commodis inferuentium, Patri luminum, a quo omne donum bonum, & omne perfectum munus descendit, egisse pios; aut laetitiam, e sensu felicitatis redundantem, nullo modo, nec instituta quadam sollempnitate, testatos esse etiam a pietate maxime alienos. Si vero festa in honorem eorum celebrata respicimus, qui primi varias artes, & vitam magis vitalem atque beatam facientia inuenta excogitarunt, populisque antea rudibus, & misere aeuum agentibus, ostenderunt, qui & in deorum numerum ea propter relati, & diuinis honoribus adfecti sunt inter gentes idolorum cultui addictas; <sup>(b)</sup> habemus sane natalitia *ἐυσημῶν* variorum, atque artium luculenta. In hunc nempe censum referenda sunt, *Ἀπολλώνια, Δήλια, Θαργήλια*, in honorem Apollinis, artis musicae, medicae, vaticinandi & iaculandi inuentoris; *Ἀσκληπια*, in honorem Aesculapii, ob praeclara in re medica inuenta inter deos relati; *Ἀθήναια, & Παναθήναια* apud Athenienses; Quinquatrus, quod per quinque dies agerentur, apud Romanos, in honorem Minervae, variarum artium, speciatim coli & lanificii inuentricis; *Ἐρμαῖα* in honorem Mercurii, mensurarum, ponderum, mercaturae faciendae, lucri captandi, etiam per furta, artis oratoriae, & palaestricae inuentoris; *Ἐλευσῖνια & Θεσμοφόρεια*, in honorem Cereris, tamquam frugum & legum inuentricis, quae Aegyptiorum est Isis, sacris Isiacis culta; *Ἀθρημῖσια, Εφέσεια, Δάφρεια*, in honorem Dianae, quae ab inuentione venationis & retium, *ἀπὸ τῶν διχτύων*, etiam *Διχτύμια* est dicta; *Διονύσια, Ἀνθεσθέρια, Ἀθήναια*, Latinis Bacchanalia, in honorem Bacchi, vitium

a 3

(b) Insignis est locus DIODORI SICULI biblioth. histor. lib. V. cap. LXVI. vbi antiquissimos deos deasque recenset, ita scribentis: *Vnusquisque horum quaedam hominibus utilia inuenit, & pro meritis apud vniuersos mortales immortalē honorem & memoriam adeptus est. Saturnus nam ma-*

*ximus regnum obtinuit, & suae aetatis homines ab agresti vitæ & more ad vitam cultiorem traduxit. Cet. Persequitur autem hoc argumentum per plura capita sequentia, & praecipuorum deorum dearumque inuenta, atque in hominum genus merita, satis copiose enarrat.*

vitium ferendarum, & vini exprimendi inuentoris; ποσειδωνια, Romanis Neptunalia, in honorem Neptuni, ob inuentam nauigandi & equos domandi artem diis superis misti; ΗΦαισεια, Quiritibus Vulcanalia, in honorem Vulcani, artis ferrariae inuentoris; Μουσικα denique, in honorem Musarum per nouem dies, ita vt Musae cuiusque nomini vnus proprie dicaretur, apud Macedonas maxime, multa hilaritate olim celebrata. De quibus omnibus MEVRSIVS in *Graecia feriatā*, & singularibus libris, GYRALDVVS in *historia deorum*, ROSINVS & DEMPSTERVS in *Antiquitatibus Romanis*, & scriptores alii, *Thesauro Antiquitatum Graeuiano* & *Gronouiano* inserti, pluribus exponunt.

III. Sed haec vno alteroque exemplo, ad inuentores artium, in sacra Scriptura memoratos, praecipue pertinente, paulo vberius videntur dilucidanda. Age vero, consideremus primo ΗΦαισεια, siue Vulcanalia; idque in honorem artis typographicae, quae sane nulla esset absque Vulcani, siue Tubalcaini artibus, vnde & fusio typorum e metallo, & preli, ac ferramentorum, quibus vtuntur officinae chalcographicae, intercedente licet longo saeculorum ordine demum inuentae, vsus pendet. En quae GVILIELMVVS INSVLANVS hanc in rem differit. (c) *Quod si in primis inuentis locus fuit casui, quidni in sequentibus quoque? id quod vel ab exemplo primi omnium TVBALKAIN queamus cognoscere; qui primus forte casu aeris fundendi elaborandique artem excogitauit; vnde tandem aliquando descendit formularum aenearum inuentum, quarum in officinis librariis vsus.* Agitata autem sunt ΗΦαισεια, quae & χαλκεια dicta, vti fuse docet MEVRSIVS, (d) Athenis a manuariis artificibus

(c) *Dissertatione, qua disquirit, bonine plus an mali chalcographia contulerit studiis literarum, & παραδοξοι, plus eam mali contulisse, defendit. Adiuncta illa est eiusdem Observationibus historicis, sub tit. Στα-*

*tera typographica. Colon. 1617. 12. Locus cit. exstat pag. 258.*

(d) *Graeciae feriatae lib. III. & lib. VI. Thesauri Gronou. tom. VII. pag. 786. & 862.*

ficibus vniuersis, maxime vero omnium fabris, idque trigesimo die mensis Pyanepsionis. Ac principio quidem Mineruae hoc festum sacrum fuit, cum nimirum omnium commune esset, & Ἀθήναια quoque ac Πάνδημον diceretur; & Ἀθήναια quidem, quia in Mineruae honorem celebrabatur, dictum fuit, Πάνδημον vero, quia omnium artificum commune esset, quibus ea deatutelarum, vnde & Ἐργάνη cognomento dicta. Postea, cum fabris proprium esse coepit, κάλλιεια adpellatum, & Vulcano, eorum deo, consecratum. De Vulcano porro diserte scribit DIODORVS SICVLVS, (e) quem per interpretationem ferri, aeris, auri, argenti, & ceterorum omnium, quae ignis operationem recipiunt, inuentam, & vniuersum ignis usum excogitatum, & cum artificibus, tum ceteris quoque hominibus expromptum esse dicunt. Propterea harum artium magistri vota & sacra huic deo potissimum offerunt; & ab his, vt ab vniuersis quoque mortalibus, ignis Vulcanum adpellatur, vt hoc pacto beneficium, communi hominum vitae tributum, immortalis memoriae & honori consecratur. Hisce verbis, in praeclaro suo opere de origine & progressu idololatriae excitatis, sequentia subiungit VOSSIVS: (f) Recte vidit Diodorus, Vulcanum esse hominem istum, qui artem reperit aerariam ac ferrariam. Sed quis heros iste fuerit, vel quando vixerit, penitus ignorauit. Est vero is Thobel, vt LXX, & Iosephus vocant, suae potius vt Hebraeis dicitur, Tubalcain, Lamechi ex Zilla filius, quem eas inuenisse artes Moses tradit Gen. IV. 22. vbi etiam refert, vt fratrum vnus Iabal, tentoria; alter autem, nomine Iubal, artem inuenit Musicam. Hunc igitur homines, ac in primis aerarii & ferrarii, vt suae artis parentem, retulere in deorum numerum, atque cum deo ignis praeside coluerunt; poetae autem Iouis fulmina fabricare sunt commenti. Haec valide etiam firman-  
tur nomine ipso Vulcani. Nam vnde Vulcanus, nisi ex Tubalca-  
mus,

(e) Biblioth. histor. lib. V. cap. LXXX. (f) Lib. I. cap. XVI.

mus, praeter mutationem vocalis B, ut feri solet, in V conuerso, & principe syllaba recisa. Ad Romanorum Vulcanalia, seu Vulcanalia quod attinet, celebrata illa sunt x. Kal. Septembr. *Vulcanalia*, inquit VARRO, (g) a Volcano, quod ei tum feriae, & quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit. Plura si cui lubet, & vacat, e Rosino & aliis peti possunt. Iam Tubalcaino iungamus fratrem Iubalem, instrumentorum musicorum, & artis iisdem vtendi, inuentorem. Hic vero Iubal est Graecorum & Latinorum Apollo antiquissimus: quem leui, ad veritatem tamen ducente errore, Vulcani filium, cum frater fuerit, dixerunt mythologi. En testimonium CICERONIS, (h) sub persona Cottae Academici, disputantis. *Cumque tu Solem, (nomine Solis designat Apollinem,) quia solus esset, adpellatum dicas, Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur? vnus eorum Ioue natus, nepos Aetheris: alter Hyperione: tertius Volcano, Nili filio, cuius urbem Aegyptii volunt esse eam, quae Heliopolis adpellatur. Cet. Sub huius vero tertii schemate latet Iubal; vti cum*  
Voffio

(g) De lingua Lat. lib. V. p. 34. ed. Gothof.

(h) De Nat. deor. lib. III. cap. XXI. Ceterum a IUBALE multi, MASIUM, eruditissimum in Iosiam commentatorem, ad cap. VI. 4. secuti, & vocabuli similitudine iidem decepti, vocem יובל, Iobel, IUBILAIVM, & Latinum, iubilare, deducunt. Sed vox יובל proprie a rad. יביל, Hiph. הוּבַיל, attulit, adduxit, descendens, primo arietem, ducem gregis; tum, interdum addita, interdum omiſſa voce יָן, cornu arietinum, quo quinquagesimus quisque annus, tamquam שָׁנַת דְּרוֹר annus libertatis, promulgandus erat, Leuit. XXV. 8. seqq. denique ipsum hunc annum, ab hisce cornibus, quae Ios. VI. 4. שׁוֹפָרוֹת הַיְבוּלִים הוּבְלוּ, vocantur, יובל, Iubilaeum dictum, denotat. Vnde & iubilaea, quae dicimus, non centesimo demum, sed, & saecris hisce, & aliis rationibus suadentibus, (vii & inter alios viros clarissimos C. A. HEVMANNVS, singu-

lari epistola ad b. Colerum, Theologum Vindariensem per scripta, editaque a. 1730. ostendit,) celebrari debebant. Latina porro vocabula, eaque ad plebeiam & rusticam Latinitatem, docente VARRONE de L. L. V. 7. pertinentia, iubilum, iubilare, ab exclamatione io! io! in inconditis, quales sunt rusticorum, clamoribus sonante, deriuantur. Interim & iubili, & iubilaei cum nomine Iubalis conuenientia fortuita, per combinationem idearum, vna audita voce, alteram etiam memoriae facile suggerit. Conferre possunt, quibus hisce paulisper immorari lubet, lexicographos, commentatores biblicos, varios denique de Iubilacis Hebraeorum, Romanorum, Christianorum scriptores, in FABRICII Bibliogr. antiq. cap. X. §. VIII. nominatos: quibus addi potest. M. IO. AD. QVASII dissert. veram vocis יובל etymologiam & significatum adserens, Lips. 1731.



Vossio plures senatus litterarii principes recte statuunt. Ergo ad natalitia artium referri possunt ac debent supra iam memorata festa in honorem Apollinis apud antiquos celebrata. Accedat fratribus etiam Naama, Lamechi filia, significatione nominis quidem venustam, siue Venerem designans, re ipsa tamen, si non improbabilibus coniecturis cum VOSSIO velimus indulgere, Minerua. En quae inter alia in hanc rem ille differit: <sup>(i)</sup> *Etsi incertum sit, qua de causa Moses Naamae nomen expresserit; maxime tamen verisimilis est eorum sententia, qui, quia iungitur tribus praeclarae rei inuentoribus, Iabal, Iubal, & Tubalcain, eo & ipsam coniectant rei egregiae repertricem. At nullum inuentum femina dignius est textura & lanificia. Satis enim notum arbitror, apud antiquos non viros texuisse, sed feminas; nec repertum hoc a gentibus viro tributum, sed illi, quam Mineruam dixerunt: vti & Diodorus in quinto fidem fecerit, ubi varia eius inuenta refert, atque in his reponit τὴν τῆς ἐκδητος καλασκευὴν, rationem conficiendarum vestium. Porro vt rerum inuentores Mosi laudatos, & natalitia artium e sacro codice deriuanda, persequar, Liber seu Bacchus gentium antiquissimus, vti facile persuadet VOSSIVS, <sup>(k)</sup> nullus est alius, quam Noachus; quippe qui primus vites plantauit, vinique conficiendi docuit rationem. Bacchus autem iunior, Arabicus, bimater, legislator, cornutus, est Moses. Neptunus praeterea antiquissimus, rei nauticae & equestris inuentor, est Iapetus. En elegantem Vossii πιδανολογίαν. <sup>(l)</sup> Velut in Saturno Noachus, (nempe, diuerso respectu, e Noacho & Bacchus, & Saturnus, qui alias etiam ad Adamum refertur, effingi potuit,) ita in tribus Saturni liberis, qui mundi imperium diuississe dicuntur, adumbrati sunt tres filii Noachi, eorumque posteris. Porro vt Semi progenies septentrionalem & orientalem Asiam obtinuit; Chami autem stirpi Asia meri-*

(i) De Idolol. orig. & progr. lib. I. cap. XVII.

(k) Eod. opere lib. I. cap. XIX. & XXX.

(l) Eod. op. lib. I. cap. XV.

meridionalis cum Africa cessit: ita Iapheto obtingere maris mediterranei insulae, & continens Europaea: ut in quam ex insulis ulterius veniretur. Huius igitur posteris duplici scientia opus fuit, nautica, ad transmittendum vastum mare; & equestri, ut in loca venientes longe lateque patentia, sed inculta, & saepe siluestribus, efferris, ac venenatis animalibus obsessa, celerius tutiusque quam maxima spatia conficerent, donec de locis maxime sibi idoneis satis dispicere possent, eademque inter se partirentur. In his vero si cui coniecturis nimium indulgisse videatur Vossius, illi in hoc adquiescere licebit, quod pars orbis, quae Iapheto, in posteritate spectato, obtingit, magnam partem constat insulis ac peninsulis, unde illi imperium maris sub persona Neptuni tributum. (m)

Cete-

(m) Labet hoc loco bono Semo, quem, in comparatione illa trium Saturni filiorum cum tribus Noachidis, vulgo Plutonem faciunt, cum Chamus contra Iuppiter perhibetur, debitum locum restituere, & mutatis partibus suum cuique tribuere. Saturnus, qui cum uxore Rhea ex Oceano & Thetide natus perhibetur, quique deo-ralle traditur omnes liberos, excepto Ioue, Neptuno, & Plutone, repraesentat Noachum, qui ex aquis diluuii quasi enatus est, inque lucem prodiit cum coniuge & filiis ac nuribus; de quo etiam dici potest, quod omnes eos absumserit, quos diluuii aquis perdendos praedixit, quique in his perierunt. Iam quod inter tres Noachi filios Iaphetus, (vel ex eo quod regiones maritimae & insulae ipsi obtingerint, si vel maxime incertiores putemus artis nauticae, sine qua tamen insulae occupari non poterunt, aut artis equestris inuentionem,) referat Neptunum, extra dubium est. Quod autem Chamus, ideo quod nomen conuenit cum nomine Hammonis, seu Iouis Hammonis, statuatur Iuppiter; & Semus ideo quod ob pietatem ceteris fuerit inuisus, orci regno dicitur praefectus, non placet. Semus

enim omnino repraesentat Iouem: quia in caelo regnavit, hoc est pietate & gratia summi Numinis floruit, & ad rerum caelestium meditationem non solum ipse fuit erectus, sed & alios excitauit, & religionem veram propagauit; tum etiam, quia principatum inter fratres tenuit; & quia progenies eius orientalem & septentrionalem Asiam obtinuit. Plaga autem oriens, ex qua lux mortalibus datur, ut ait LACTANTIUS (Diuin. Instit. lib. I, cap. XI, 31.) superior, occidentis autem inferior esse videtur; adhuc borealia in sacris dicuntur supera, australia contra infera; & ascendere est, versus Boream; descendere vero, versus Austrum iter facere: uti luculenter ostendit summe reuer. CHRISTIAN. BENED. MICHAELIS dissertatione, cui titulus: Notiones superioris & inferioris, indeque adscensus & descensus in chorographiis sacris occurrentes. Halae 1735. Quae Ioui illi Cretenfi, longe iuniori, tribuuntur facinora, nihil ad bonum & pium hunc Iouem, Semum. At ais, mi lector; qua ratione tu praeter opinionem omnium e Chamio nobis exculpes Plutonem? Respondeo. Chamio, eiusque posteris, cuius etiam nomen calorem & adustio-

nem

Ceterum facile largior, festa illa antiquorum, quae natalitia artium dico, non tantum ad harum inuentiones, & memoriam hominum ob easdem consecratorum, sed & ad philosophicam illam deorum interpretationem pertinere, qua variae mundi partes & naturae vires tamquam totidem numina, vti in Apolline sol, in Vulcano ignis, in Cerere terrae vis frugifera, & ita porro, culta sunt. Sed inde ei, quod probandum suscepit, adfero nihil detrahitur. Sufficit illustria huiusmodi apud antiquos fuisse festa, & non nisi paucos sapientiores spectasse rationes physicas, multitudinem autem fabulas, ex historiis veris confictas, & coloribus poeticis exornatas, potissimum respexisse.

b 2

IV. Ve-

nem notat, obtigerunt terrae partes inferiores, australes nempe, eademque in Zona torrida intolerabili calore aestuantes, Aethiopicibus, Troglodytis, aliisque gentibus perquam miseris & orci incolas referentibus, habitatae. Quidni ergo horum progenitor Chamus Plutonem referat? Porro, (teste DIODORO lib. V. cap. LXIX.) *Plutonem funerum & sepulturae ac parentationis ritus ostendisse ferunt, cum prius nulla horum adcuratio fuisset: atque hoc in causa fuit, ut defuncti in potestate eius esse dicerentur, & inferorum ei principatum & curationem antiquitas delegarit.* Tam vero, quod manifestissimum, funerum, pollincturae, & sepulturae perquam ambitiosae inde ab antiquissimis orbis temporibus nulla gens studiosior fuit, quam Aegyptii, a *Mitzraim*, filio Chami, descendentes. Quidni itaque vel ipse Chamus, operosa illa corporum exanimatorum curatione perennitatem quamdam ipsis conciliaturus, horum rituum auctor, adeoque rex inferorum factus credatur? vel, si nomen progenitoris, more in sacris etiam scripturis vtitatissimo, pro tota gente vsurpatur, fecisse dicatur, quod prae populis terrarum omnibus fecit Aegyptus, terra Cham dicta Psalm LXXVIII, 52. & alibi. Accedit, quod Chamus & chemiae repertor fuisse, & magis primus artibus, quae itidem in Aegy-

pto magnopere viguerunt, & necromantiae operam dedisse, perhibetur. Conf. IO. FRANCISCI BVDDEI *Histor. eccles. V. T. P. I. p. 207.* IO. ALB. FABRICII *Codex pseudepigr. Vet. Testam. p. 301.* et, quem magni hi duumviri secuti sunt, quique etiam *Chamum* facit *Iouem Hammonem*, SAM. BOCHARTI *Geogr. sacra lib. IV. cap. I.* Maneat itaque fixum immotumque, sacrum illum atque intestabilem & patris execratione infra fratres depressum CHAMUM, tot conspirantibus argumentis referre Plutonem: & repudientur omnino frigida illa, & prorsus precaria, quae habet FRANC. POMMEY in *Pantheo mychico p. 118.* *Semus autem quae ratione probabitur esse Pluto? quibusque gradibus descendisse ad Auerni regna putandus est? An pietatis & religionis, qua fratres antecellunt suumque nomen super astra extulit? Etiam: haec sceleratis impiisque simulacrorum cultoribus occasio esse potuit, virum sanctimoniae laude clarum & idololatriae hostem implacabilem, exagitandi, dum viueret, posteaque mortui memoriam illustrissimam fabulis obscurandi; Hygisque illum ad dicendi tenebris, delato per ludibrium scepro inferorum.* Interim inter artium inuentores, siue, vt cum Hesiodo loquar, *ἰ ἀνδρῶν ἀλφειῶν*, sius nunc etiam Chamus locus tribuatur.

IV. Verum nunc etiam ex ipsa historia, nullis inuoluta fabulis, natalitia quaedam artium sunt exhibenda. Haec autem suggerunt apud Romanos corpora & collegia artificum atque opificum, quorum prima institutio Numae debetur, quique sollempnes suos conuentus, & stata conuiuia, ex iis etiam, quae testamentis fuere legata, habuerunt; vti inscriptiones in Sylloge Smetiana & Gruteriana variae testantur. Exempli loco sufficiat, quae sequitur, <sup>(n)</sup> in iis etiam, quae vitiosa videntur, fideliter expressa.

FLAVIAE. Q. F. SALVTARI. CONIVGI. KARIS-  
SIMAE. L. PVBLICIVS. ITALICVS. DEC. ORN. ET.

SIBI

V. POSVIT

HIC. COLL. FABR. M. R. HS. XXX. N. V. DEDIT  
EX. QVORVM. REDITV. QVODANNIS. DECVRIONIB.  
COLL. FABR. M. R. IN. AEDE. NEPTVMNI. QVAM. IPSE  
EXTRVXIT. DIE. NEPTVMNALIORVM. PRAESSENTIBVS  
SPORT. \*. BINI. DIVIDERENTVR. ET. DEC. XXVIII. SVAE  
\*. CENTENI. QVINQVAGENI. QVODANNIS. DARENTVR  
VT. EX. EA. SVMMA. SICVT. SOLITI. SVNT. ARCAM. PVBLI  
CIORVM. FLAVIANI. ET. ITALICI. FILIORVM. ET. ARCAM  
IN. QVA. POSITA. EST. FLAVIA. SALVTARIS. VXOR. EIVS  
ROSIS. EXORNENT. DE. \*. XXV. SACRIFICIENTQ. EX  
XX. HS. ET. DE. RELIQVO. IBI. EPVLENTVR. OB. QVAM  
LIBERALITATEM. COLL. FABR. M. R. INTER. BENEMERITOS  
QVODANNIS. ROSAS. PVBLICIIS. SVpra. SE. ET. FLAVIAE  
SALVTARI. VXORI. EIVS. MITTENDAS. E. \*. XXV. SACRIFI  
CIVMQ. FACIVNDVM. DE. XX. HS. PER. MAGISTRATOS  
DECREVIT.

Verbo

(n) Exstat ea fol. CLXII, n. II. in MARY. SMETII *inscriptionum antiq. libro, cum auctario IUSTI LIPSII edito ex offic. Plantin. 1588. In Corpore inscriptionum Gruteriano eadem legitur tom I, p. 460, diciturque re-*

periri Rauennae: notantur etiam nonnulla paulo aliter expressa in MS. Pighii. Alia huiusmodi inscriptio exstat tom. I, p. 237. corporis Gruteriani n. 5. quae ita habet, cum addita quadam explicatione.

II.

Verbo faltem denuo attingo ad institutum meum facientia festa quaedam Romana, qualia fuere <sup>(o)</sup> *festum mercatorum*, idibus Maiis agitatum, quod ea dies Mercurio, qui mercibus praeest, natalis esset; item *ludos piscatorios VII. Idus Iunii* <sup>(p)</sup> item *festum pistorum V. Id. Iunii*, qui dies Vestae sacer, quo

b 3

con-

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESARIS. AVGV  
 GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II  
 COS. DESIG. III. IMP. III. P. P. DEDIT  
 OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI. \*. DEC. VII  
 COLLEGI. FABRV. M. R. HS. CIO. N. LIBERALITATE  
 DONAVIT. SVB. HAC. CONDITIONE. VT  
 QVOTANNIS. ROSAS. † AD. MONVMENTVM  
 EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR  
 DVMTAXAT. IN. V. ID. IVLIAS  
 QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC. ‡ AD. VIII  
 EIVSDEM. COLLEGII. PERTINERE. DEBEBIT  
 CONDICIONE. SVPRA. DICTA.

\* DEC. VII. omnino explicandum *decuriis septem*. Nam *fabrum* aliorumque collegia diuidebantur in *decurias*. Reinesius hunc locum variis coniecturis tentauerat, quales erant, *seuir decurionum*, vel *decurionalis*. Postea *Decurionis Colleg. vel Decuriae vel septimae*. Sed verissima explicatio est quam dixi. GVD. † *Sollemnia cibi & rosarum* vocat cccclxix. 6. ‡ Ad VIII viros vel VI viros.

(o) ROSINVS *Antiq. Rom. lib. IV. p. 381*. Eodem die *mercatorum festum* erat, quod eo die *Mercurii aedes* dedicata. Atque e *Mercurii fonte* ad portam *Capenam* mercatores adsperserant se *laureo sermone* immerso, uberioris *quaesitus gratia*. Huc pertinet iucunda & tota lectu digna narratio OVIDII *Fastor. lib. V. s. 663. 692*. Vt saluam iuuenibus nouicam, disticha quaedam adscribo, superstitutionem aquae lustralis, quam hodierna Roma christiana a prisca pagana in manus tra-

ditam accepit, & lepidas mercatorum preces, exhibentia. Poeta *Mercurium* adloquitur;

*Templa tibi posuere patres, spectantia Circum,  
 Idibus. ex illo est haec tibi festa dies.  
 Te, quicumque suas profitetur vendere merces,  
 Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogas.  
 Est aqua Mercurii portae vicina Capenae:  
 Si inuat expertis credere, numen habet.  
 Huc venit incinctus tunicas mercator, & urna  
 Purus suffusa, quam seruit, haurit aquam,  
 Vda sit hinc laurus: lauro sparguntur ab vda  
 Omnia, quae dominos sunt habitura nouos.  
 Spargit & ipse suos lauro vorante capillos,  
 Et peragit solita fallere voce preces.  
 Ablus praeteriti periuria temporis, inquit,  
 Ablus praeterita perfida verba die. Cet.*

(p) De ludis piscatoriis *Ouid. Fast. VI. v. 235. seqq.* ROSINVS p. 392. edit. *Genen. 1658*.

conuiuia ante focos agitata, cibi virginibus Vestalibus missi, vt deae Vestae libarent, asini floribus coronati, atque e pane veluti monilia quaedam gerentes, circumducti per urbem, molaem item fertis & floribus coronatae: quae omnia strictim refert OVIDIVS. (9) Denique iucundam eiusdem (r) & LIVII (s) narrationem de anniuersario tibicinum festo in Idus Iun. incidente, quo habitu muliebri urbem lustrabant, harum rerum curiosis legendam commendo.

V. Ex antiquo orbe Romano in orbem Romanum Christianum si transferimus, in hoc quoque haud pauca reperiemus natalitia artium, sacra nempe & conuiuia in festo Sancti cuiusdam, certorum artificum atque opificum patroni, celebrari solita, de quibus ita scribit IO. GVIL. STVCKIVS: (t) *Apud Christianos, praeter publicas & communes festiuitates, singuli fere artifices atque opifices certos habent diuos atque diuas, ceu vitae artificiique sui patronos atque tutores, vt pictores Lucam, fabri Eulogicum, calcearii Crispinum & Crispinianum, sartores Gutmannum, figuli Goarem, venatores Eustachium, in quorum honorem dies illis sacros commestationibus, comotationibusque, vt fit, celebrare consueverunt.* Cui plura de opificum conuiuibus legere volupe, adeat Adr. Beieri, Icti olim Ienensis, in exponenda iurisprudencia opificiaria mire operosi, tractatum, cui titulus: *MAGISTER, der Meister bey den Handwercken*; e quo non nisi sequentia excerpto: (u) *Septimus actus sollempnis, ad magisterium inter opifices im-*  
petran-

(9) *Fast. VI. 309. seqq.*

*Venit in hos annos aliquid de more vetusto:*

*Fert missos Vestae pura patella cibos,*

*Ecce coronatis panis dependet a sellis,*

*Et velant scabras florida ferta molas.*

(r) *Fast. VI. 651. seqq. initium est:*

*Et iam Quinquatrus iubeor narrare minores.*

*Nunc ades o coeptis, flaua Minerua, meis.*

*Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?*

*Quid sibi personae, quid stola longa voluit?*

(s) *Lib. IX. c. 30. Varro lib. V. de L. L.*

*Quinquatrus minusculae dictae Iuniae Eidus ab similitudine maiorum, quod tibicines iam feriat per urbem vagantur, & conueniunt ad aedem Mineruae. Videatur & VALER. MAXIMVS lib. II. c. 5. & qui, pleraque ex his adducit, ROSINVS p. 395.*

(t) *Antiquitatum conuiuialium lib. I. cap. XXII. de Conuiuibus artificum, opificum, seruorumque propriis.*

(u) *Cap. IX. de epulis opificum, von Handwerks-Essen, init, & p. 101.*

petrandum necessarius, est epuli exhibitio; quo de tamquam negotio oppido necessario non dememinerint in articulis suis cauere, etiam qui specimina non exigunt; prout obseruare id licuit ex statutis alutariorum, nec non perariorum, quibus acuarii iuncti sunt. Quae res vitio ipsis verti ab imperitis posset, si maxime ab usum hodiernum, & particularium quarundam personarum gulam considerauerimus, quibus venter deus esse videtur, vt nihil seu incipere, seu finire queant, nisi ab *Et* cum comestationibus. Et interiectis nonnullis. Posterius sunt potissimae ac sumtuosissimae epulae, quae praebentur pro renuntiatione seu declaratione in magistrum, & receptione in collegium, ab vnoquoque candidato: vnde etiam *Meister-Essen* & *Meister-Mahlzeit* vocari consueuerunt. Heic vero silentio praeterire nefas esset, ne quis eruditus suarum artium & scientiarum natalitia deesse putet, epulas illas sollempnes, quando creantur & nascuntur in academiis Theologiae, Iurisprudentiae, Medicinae, Philosophiae Doctores, & liberalium artium Magistri, *die Doctor und Magister-Schmäuse*; quae candidatorum interdum oculos haud parum exhauriunt; nonnumquam vero munere magnorum principum adparantur; vti Luthero contigit *Wittebergae* a. CIOIOXII. (x) vti etiam viris clarissimis, honores academicos inter ipsa inaugurationis Academiae Georgiae Augustae sollempnia capessentibus, id beneficii munificentia regia obtigisse nouimus.

VI. Iam ante, de natalitiis artis typographicae quam speciatim nonnulla adferam, in originem artis scribendi, cuius filia, sero admodum nata, est ars illa typis aeneis exscribendi, quae scripta sunt manu, post tot eruditissimorum virorum disquisitiones, (y) inquirere, eiusque inuentae gloriam, quod haud

(x) NIC. SELNECCERVS in *vita Lutheri* p. 28. vbi eum ex obedientia, & Stauitio id serio vrgente, Serenissimo Electore autem sumtus liberaliter suppeditante, doctoratum suscepisse ostendit, non sine tenuitatis suae modesta cogitatione.

(y) Scriptores, qui de origine artis scribendi commentari sunt, haud paucos, variasque eorum sententias recenset MORHOFFVS *Polyhist. Litter. lib. IV. c. 1. de Linguis & scriptura.*

haud scio an aliis in mentem venerit, patriarchae IOSEPHO vindicare lubet. En, Lector erudite, paucis adfert mei audaculi rationes. Scriptio aliqua, eaque procul dubio valde primum rudis, & pro cuiusque lubitu formata, per characteres, vtcumque signatos, non tam vocabula, quam res ipsas, integras propositiones, facta, personas, numeros, tempora, & non nisi memoratu summe necessaria denotantes ( vti hodie Sineses, ex antiquissima illa ratione meris characteribus, iam quidem in immensum multiplicatis, res & vocabula exprimunt; (z) vti etiam per cultiorem nostram Europam mathematici inprimis & medici multos adhibent characteres,) inter primos orbis incolas mox fuit vsitata. Scriptionem autem per litteras alphabeti ante migrationem Iacobi in Aegyptum fuisse incognitam, euincunt argumenta, dudum a CL. HEVMANNO <sup>(aa)</sup> adlata, & praeter alios, a magno etiam & acris iudicii polyhystore, GVNDLINGIO, <sup>(bb)</sup> comprobata. Nullius monumenti perscripti, nullius pacti, nullius legis, nullius epistolae, nullius lineae, ante haec tempora scriptae, a Mose fit mentio: quae tamen, si talia exstitissent, in illa tot saeculorum historia neque omittenda fuissent, neque omissa. Nam quae ante tempora Iosephi scripta feruntur, vti columnarum Sethianarum inscriptiones, prophetia Henochi, & alia IO. ALB. FABRICIO in *Codice pseudepigrapho V. T.* memorata, dudum a peritis tamquam fictitia & fabulosa sunt reiecta. <sup>(cc)</sup> Legatis loco litterarum, ad fidem faciendam comparatarum, adferenda

(z) Nemo plenius, nemo adcuratius hac de re agit, quam admirabilis ille, & immaturo raro iam extinctus, in arcana orientis mystagogus, THEOPH. SIGEFRIDVS BEYERVS, in *Museo Sinico, quo Sinicae linguae & litteraturae ratio explicatur*. Petropoli 1730.

<sup>(aa)</sup> *Aelis philos. tom. I. parte V. pag. 795. seqq.*

<sup>(bb)</sup> *In ausführlichen Discoursen über D.*

*Christoph. Aug. Heumanns Conspectum resp. litter. tom. I. Cap. III. de arte scribendi. §. 4. 5.*

<sup>(cc)</sup> Conferatur, praeter scriptores CL. HEVMANNO ad cap. III. §. 2. *Conspect. sui resp. litter.* memoratos, GOTHOFR. VOCKERODT *Historia Societatum & rei litterariae mundi primi cap. II. §. 10. seqq.* inserta *Exercitationibus academicis, iunctim editis Gotbae 1704.*



da & offerenda dabantur munera, vti patet ex historia Elie-  
 seris ab Abrahamo ad Bethuelem, filiae eius Isaaco in matri-  
 monium expetendae, missi. (dd) Erecti & inuncti lapides,  
 vti ille, quem Iacobus in Bethel statuerat; (ee) congesti lapi-  
 dum acerui, vti patet ex historia eiusdem Iacobi, (ff) erant mo-  
 numenta rerum memorabilium, ipsorumque pactorum. Ha-  
 ctenus strictim repetii argumenta, a CL. HEVMANNO pluri-  
 bus exposita. His addi mihi posse videntur etiam haec. Num  
 credibile est, Noachum, tantum iustitiae praeconem, priscī  
 orbis incolas, in illa longaeuitate, & sedecim ac dimidii, &  
 quod excurrit, saeculorum spatio, tam numero infinitos, tam  
 longe lateque dispersos, qui omnes ipsum concionantem au-  
 dire non poterant, si vel maxime prouincias peragratus fuisset,  
 de quo tamen Moses nihil memorat, sola voce, nec etiam  
 scripto ad vitae emendationem fuisse exhortaturum, aut Mo-  
 sen, quod factum illud sit, silentio fuisse praeteriturum, si iam  
 inde ab orbis incunabulis, tradente & exercente Adamo, ars  
 scribendi per litteras in vsu fuisset? Num quis sibi persuadeat,  
 Pharaonem sola illa ore praeconis facta voluntatis suae signi-  
 ficatione, & pompali circumuectione, nec vero edicto etiam  
 multis exemplis perscripto ac publicato fuisse testificaturum,  
 Iosephum a se proregem Aegypti esse creatum, & eius manda-  
 tis ac nutui omnibus esse obtemperandum? (gg) aut nullam eius  
 rei

(dd) Gen. XXIV.

(ee) Gen. XXVIII. 18. conf. CL. GOTTL.  
 FRID. IENICHEN *dissert. de lapide Iaco-  
 bi vnto*: Item Hoellingianam *de Baetylus  
 veterum dissertationem*.

(ff) Gen. XXXI 46. seqq.

(gg) Sed me imperitum! qui edictum hu-  
 iusmodi Pharaonis promulgatum negare  
 haud verear, cum tamen existent plures hu-  
 ius epistolae ad magos, ad Iosephum, ad mi-  
 nistros. En specimen epistolae ad mini-  
 stros super interpretis inuestigatione. Pha-

rao, diuina magnificentia rex Aegypti, dile-  
 ctis & fidelibus suis consiliariis, camerariis,  
 & ceteris subministris, praesentis mandati con-  
 tinentiam auditis, salutem, & praecepta sa-  
 lubria corde describere, ori circumdare, di-  
 gitis alligare. En & specimen epistolae ad  
 Iosephum. Pharao, diuina magnificentia rex  
 Aegypti, Amico sincero, Ioseph, Hebraeo, spi-  
 ritualis praerogatiua gratiae diuinitus insi-  
 gnito, salutem, & lucernam latitantem sub  
 modio super candelabrum exaltare. Lepidas  
 illas epistolas perlegendi si quem forte lu-  
 bido

rei mentionem facturum fuisse Mosen, historiam Iosephi tam ample describentem, si Aegyptii, cetera minime rudes, immo aliis populis cultiores, & scientiarum, quales illo aevo vigebant, dotibus instructiores, per litterarum figuras vocabula exprimere, & expressa legere sciuissent? Maneat ergo inconcussum, ante Iosephi in Aegypto ad proximum a rege fastigium euectionem, artem huiusmodi scribendi, de qua iam nobis sermo, fuisse nullam; & cum statim post egressum Israelitarum ex Aegypto eius adpareat vsus, eo temporis interuallo, quo in hac terra illi haeserunt, fuisse inuentam. Iam de inuentore. Hunc vero non alium, quam Iosephum fuisse, ita demonstrari mihi posse videtur. *Hermes*, seu *Mercurius* ille, cui multarum rerum & artium scientia *Trismegisti* cognomen imposuit, iudice LACTANTIO <sup>(bb)</sup> in Aegypto inuenisse traditur litteras, & rationem articulatum scripto voces exprimendi. Testis luculentus est DIODORVS SICVLVS, <sup>(ii)</sup> cuius locus maxime memorabilis, & EVSEBIO <sup>(kk)</sup> etiam exci-  
tatus, Graece heic est adscribendus, vt rectius statim rem expendere queant eruditi. Ita autem ille, vbi de Osiride, & Hermete Aegypto ex instituto agit: *τιμᾶσθαι δ' ὑπ' αὐτῆ μάλιτα πάντων τὸν Ἑρμῆν, διαφόρῳ φύσει κεχορηγημένον πρὸς ἐπίνοϊαν τῶν δυναμένων ὠφελεῖσθαι τὸν κοινὸν βίον· ὑπὸ γὰρ τέττα πρώτον μὲν τὴν ἴε κοινὴν διάλεκτον διαφραθεῖσθαι, καὶ πολλὰ τῶν ἀνάνυμων τυχεῖν προσηγορίας, τὴν τε εὐρεσιν τῶν γραμμᾶτων γενέσθαι, καὶ τὰ περὶ τὰς τῶν θεῶν τιμᾶς καὶ θυσίας διαταχθεῖσθαι.* Addo iam versionem Rhodomanni. *Apud eum in maximo ante omnes honore positus fuit Hermes, eximia ingenii perspicacitate in excogitandis vitae humanae commodis instructus. Hic enim primus, vt ferunt, & communem loquelam articulatim distinxit, & multis rebus, nomine destitutis, nomen indidit; litteras inuenit, deorum*

bido incessat, is in IO. ALB. FABRICII  
Codice pseudepigr. V. T. p. 441. euoluat Io-  
annis Lemouicensis *Morale somnium Pharaonis.*

(bb) *Diuin. instit. lib. I. cap. VI.*

(ii) *Biblioth. histor. lib. I. capp. XV. XVI.*

(kk) *Praeparat. euang. lib. II. cap. I.*

rum cultus & sacrificia ordinavit. Iam, quaeso vos, lectores, excutite intelligentiam vestram, & quid dicat auctor attendite. Dicit autem, ὑπὸ τῆς Ἑρμῆ πρῶτον τὴν κοινὴν διάλεκτον διαφερωσῆναι, ab Hermete primum communem loquelam articulatim distinctam esse. Potestne hoc de sermone ore prolato intelligi? num antea non poterant articulatim homines loqui, & colloqui? num beluarum more vocem tantum inconditam emittebant? quis sanus hoc dixerit? Ergo de sermone scripto, & per litteras & syllabas articulatim distincto haec sunt intelligenda. Idque nullam omnino dubitationem habet, cum eidem noster expresse tribuat τὴν ἐύρεσιν τῶν γραμμάτων, inuentionem litterarum. DIODORO adiungo alium magnum & venerabilem eiusdem aevi testem, M. T. CICERONEM. <sup>(ll)</sup> Hic vero, Cottam philosophum academicum inducens, plures recentem Mercurios, ita scribit: *Quartus Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare. Quintus, quem colunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Aegypto praefuisse, atque Aegyptiis leges & litteras tradidisse. Hunc Aegyptii Thoyth adpellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* Plura conquirere testimonia, Hermetem Aegyptium litterarum inuentorem demonstrantia, superuacaneum existimo. Iam probandum erit, quod Iosephus Patriarcha fuerit ille ipse Hermes. Hoc vero statim patebit, modo ostendatur, quod, quae Hermeti illi tribuuntur, in neminem exactius conueniant, quam in Iosephum. Repeto primum, quae habet DIODORVS. *Apud Osirin in maximo ante omnes honore positus fuit Hermes. Osiris autem antiquissimus, uti recte censet VOSSIVS <sup>(mm)</sup> fuit Mizraim, Chami filius.* Addo iam, & lectorem intelligentem hoc mihi facile daturum confido: Osiris fuit nomen regibus Aegypti vetustissimis, aequae ac illud Pharaonis, & Caesaris olim apud Romanos a C. Iulio Caesare in successores

c 2

deri-

(ll) *De Nat. deor. lib. III. cap. XXII.* (mm) *Theol. gentil. lib. I. cap. XXVII.*

deriuatum, commune. Apud Osirin seu Pharaonem aliquem summo in honore fuit Iosephus, eximia ingenii perspicacia in excogitandis vitae humanae commodis instructus. Hermes praeter inuentionem litterarum, deorum cultus & sacrificia ordinasse, distributam astrorum seriem, vocumque harmonias & naturas princeps obseruasse, lyram, & palaestram inuenisse, numerosae concinnitatis, & corporis decore effingendi studiosus artifex fuisse traditur, vti habet DIODORVS in proxime sequentibus. Iosephum quis dubitet veri De cultum & sacrificia, vel eo ipso dum exercuit cum familia & aliis piis, (sine dubio enim eius aeuo multi fuerunt in Aegypto ex oeconomia patriarchali Dei cultores,) Aegyptios docuisse? Et quidni idem Astronomiam etiam & Musicam, pro eius aeui quidem ratione, ob vitam pastoritiam, obseruandis astris maxime idoneam, & fistula de collo pendente oblectari solitam, melius, quam istos calluisse, & varia in his, nec non in decora, & ad concinnandam corpori agilitatem composita liberorum educatione, praecepta ipsis tradidisse censeatur? Porro, teste DIODORO, <sup>(oo)</sup> Mercurius elocutionis magister, vnde Ἑρμῆς, id est enunciator Ἑῖς interpretis dictus, Osiridis denique notarius sacrorum, ἱερογραμματεὺς, cum quo is omnia communicauerit, Ἑῖς cuius maxime consilii usus sit, fuisse dicitur. Haec in Iosephum, artis scribendi inuentorem, quam maxime quadrant. καὶ τὸς Ἕλληνας, ait DIODORVS, (nec perperam omnino; siquidem & Graeci litteras beneficio Iosephi inuentas, per Cadmum Phoenicium, accedentibus profectio- nibus in Aegyptum, acceperunt) διδάξαι τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν: Graecos docuisse, quae ad interpretationem pertinent: nempe ad interpretationem animi sensuum per sermonem scriptum. Quod denique ἱερογραμματεὺς fuerit Hermes ille Trismegistus, quem scripturae hieroglyphicae inuentorem, Mose antiquior-

(xx) Loco supra citato, in edit. Graecolat. Wechel. p. 15. pr.

rem, & tempore Abrahae, primo Pharaone rerum in Aegypto potiente, floruisse statuit ATHANASIVS KIRCHERVS, (oo) hoc ad propositum meum ita adco[n]modo, vt Hermetem Trismegistum, hoc est Iosephum, Mose omnino antiquiorem, Abrahamo autem, proauo quippe suo certe iuniorem, & litterarum sacrarum, Hebraicarum nempe, longe post hieroglyphicas demum repertarum, inuentorem faciam. Venio nunc ad locum CICERONIS de *Mercurio*, atque in eo Iosephum satis mihi etiam perspicue videre videor. *Quartus*, ait ille, *Nilo patre, quem Aegyptiis nominare nefas*. Nempe ex praedicta illa septem annorum, & in vsus regis conuersa, frugum abundantia, per inundationem Nili maiorem sine dubio effecta, ad tantum fastigium elatus fuit Iosephus, vt non incongrue Nilo patre, tamquam Aegypti scilicet moderator, natus dici possit. Vti CICERO ad *Quirites* ait: (pp) *A parentibus, id quod necesse erat, paruus sum procreatus, a vobis natus sum consularis*. Deinde post immensam illam Hebraeorum multiplicationem Aegyptiis inuisus, nec amplius nominandus fuit Iosephus: quae sane omnia historiae sacrae sunt consentanea. *Quintus*, pergit CICERO, *quem colunt Pheneatae* (in Arcadia ad montem Cyllenium, vnde & *Cyllenii* cognomen haesit Mercurio, ex variis, quibus hoc nominis datum, antiqui orbis magistris & informatoribus confuso,) *qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Aegypto praefuisse*: (sive rectius, recepta e LACTANTIO correctione, *Aegyptum profugisse*: vt & habet editio Gronouiana, & ad hanc expressa nupera Lipsiensis,) *atque Aegyptiis leges & litteras tradidisse*. Iam, vt nullum est dubium, quin leges tradiderit Iosephus Aegyptiis, ita etiam litteras eum tradidisse agnoscamus. Quomodo autem fabula de interemto Argo, & inde enata fuga in Aegyptum Iosepho conueniat, minus liquet: nisi forte ita exponere velis, quod

c 3

Iose-

(oo) *Oedipi Aegypti, tom. III. cap. I.* (pp) *Orat. ad Quirites post reditum cap. II.*

Iosephus populum Aegypti, sane plus quam centoculum, & qui Argo oculatior sibi visus est, libertate, hoc est vita ciuili priuauerit, & quasi capite diminuerit; vti ipse ait. (99) *Ecce emi vos hodie, & terram vestram Pharaoni: quodque retinendum sit in Cicerone illud; ob eamque causam Aegypto praefuisse.* Vt autem plane extra dubium ponatur, in *Mercurio* antiquorum cultum fuisse *Iosephum*, age, paucis porro vtrumque componamus. *Mercurius* deorum, & maxime patris Iouis interpres ac nuncius traditur. *Iosephus* & patris ad fratres mandata, & horum ad illum peccata detulit, & somniorum interpretatione, diuinitus concessa, eminuit, & regiae voluntatis per vniuersam Aegyptum interpres fuit; adeoque iure merito *Hermes* dicitur. *Mercurius* emendi vendendique, ac mercaturam & lucrum faciendi magister, & mirus artifex fuit. Vnde & nomen *Mercurii* a merce recte deriuat *Festus*. Nisi forte cum illis facere velis, qui a Germanica & Celtica voce *merken*, *Mercurium*, *den Merker* dictum volunt. Ecquis vero maior *Iosepho* vquam fuit mercator, qui totius regni possessiones & incolas, mancipiorum more sese vendere coactos, nec non finitimarum regionum argentum, victum ipsis, forte haud leui pretio, suppeditando, fisco regio mercatus est? Furandi scientia inter omnes, quotquot sunt, ac fuere, fures exceluisse fertur *Mercurius*, furum antesignanus & deus. Haec ad *Iosephum* etiam sano sensu adplicari possunt, si conuicia ab Aegyptiis, possessionum suarum & libertatis iacturam dolentibus, atque *Iosephum* & eius gentem immani deinde odio prosequentibus, sine dubio iactata respicias. *Mercurius* oues & boues aliquando pauisse; Panos etiam, Aegyptiaci dei, & pastorum patroni pater fuisse dicitur. *Iosephus* etiam iuuenis pecora pauit; & si per Pana intelligitur *Moses*, pastorum, quales erant Israelitae, patronus & vindex, diuinis suis

(99) *Genes. XLVII. 23.*

suis miraculis atque prodigiis Panicum terrorem Aegypti inferens, Panos pater censei potest. Denique semitalis deus, siue *évódios*, ac itinerum praeses existimatus ac dictus est Mercurius: unde & statuae eius, *Hermæ* dictae, in compitis posita. Neque haec in Iosephum non conueniunt. *Exiuit enim Iosephus a Pharaone, & transiit*, teste Mose, (rr) *per totam terram Aegypti*. Hic vero transitus ita mihi videtur fuisse comparatus, vt & vias & aggeres, quibus plena hodieque est, & procul dubio tum iam fuit Aegyptus, ad Nilum per fossas & canales in campos deducendum, quo maior iis induceretur foecunditas, munierit. (ss) Cumque porro Mercurius tamquam internuncius a superis ad inferos, ab inferis ad superiores commeari dicatur; Aegyptus autem, vti notissimum, in superiorem & inferiorem diuidatur: habemus etiam heic *Mercurii nostri Mosaiici*, (qui non minus, quam *Horatianus* ille superis deorum *gratus & imis*, (tt) *& pias laetis animas reponens sedibus*, Iacobum cum familia in terra Gosen collocando, *virga leuem coercens aurea turbam*, toti Aegypto, vel & speciatim cam-

(rr) *Gen. XLI. 46.*

(ss) En descriptionem horum aggerum  
 ENIC. CHRISTOPH. RADZIWILI *Principis Poloni, Hierosolymitanae peregrinatione, Ant. 16:4.* Verba eius, memoratu digna, p. 156. haec sunt. *Nilus non casu & fortuito, quod multi opinantur, per campos extendat: sed per fossas artificiose deductas, intra aggeres industria paratos diffunditur, & arua humectat. Et interiectis nonnullis, pag. seq. Praedicti aggeres ordine certo sunt dispositi. Nam cum aqua per emissaria, (multi namque aggeres haec habent; plures tamen, cum tempus adest, perfodiuntur) dimittitur, fluius eam partem agrorum & camporum occupat, qui ad Caesarem, vel Bassam pertinent. Quibus adaequatis alius agger perforatur, & sic deinceps per ordinem agri aquam accipiunt. Diligens autem in aggeribus hisce adhibetur custodia, ne quis eos no-*

*ubi minime deberent, aperiat. Sed & post aquae emissionem terra obstructis custodes adponuntur, ne furtive quis eosdem perfodiat, unde in aquae impetu cobibendo, magna fitura sit difficultas.* Ceterum idem, quae sit pagorum in Aegypto ratio, ita exponit. *A pago ad pagum agger protenditur, qui tempore inundationis viam transcurrentibus praebet. Porro aggeres hi diuturnitate temporis veluti colles quidam a natura facti videntur: sed qui diligentius considerauerit, arte paratos facile animaduertet. Nam et a pago ad pagum ducunt; & pagi ipsi tumulis editioribus, cum collibus quibusdam in gyrum formatis, incumbant. Haec qui reputat, Iosepho, summo annonae praefecto, viarum & aggerum in Aegypto curam necessariam, unde sub persona Mercurii deus vialis factus est, tribuere non dubitabit.*

(tt) *Oda X. lib. I.*

campi Elyfii, feu terrae Gofen incolis imperando, dici potest) transitum a superis ad inferos, reditumque ab his ad illos. Sed & ipse Mercurio a poetis & pictoribus attributus habitus, ipse petasus, ipsa talaria, ipse caduceus, artis scribendi inuentorem notant. Apud FRANC. POMEY<sup>(uu)</sup> *Palaeophilus* de Mercurio hanc quaestionem proponit *Mystagago*: *Quis ille adolescens ore hilari, specie honesta, argutis oculis, ac sine fuco pulcher, alatum habens galerum, alatosque calceos, virgam manu tenens alatum, duobus illigatam serpentibus?* Iam missa eius responsione, meam subiungo. *Iosephus* est, ille formosus, ille dominae adamatus, ille somniorum explanator, ille florentissimus triginta annorum iuuenis, cum summus Iouis Aegyptii interpres, atque administer constitueretur, ille callidus contractuum, emtionum, venditionum, & lucri faciendi artifex, ille viarum praeses, ille denique litterarum inuentor, sub schemate Mercurii intergentes cultus. Nouam *Palaeophilum* iam proponere iubeo quaestionem: *Quid vero sibi volunt illae alae in capite & pedibus, & scipione serpentibus cincto?* Respondentem ad haec induco *Mystagogum* verbis LIL. GYRALDI, <sup>(xx)</sup> *Hunc negotiorum omnium existimabant esse deum. hac ratione alas ei antiqui in capite & pedibus adsignauere, id scilicet significare volentes, volucrem per aera ferri sermonem: addo, non solum pronunciarum, sed & scripto comprehensum, ex arte, ab ipso hoc Mercurio inuenta.* Tertium *Hermathenam* conspicienti *Palaeophilo*, pace Lectorum, liceat quaerere: *Quaenam vero sociata illa Hermeti virago, bellatrix, armata thorace, galea, scuto, hasta?* Et *Mystagogo* liceat respondere: *Illa est Aθηνη, siue Miuerua poetarum; Mo- sis Naama, quam, quidni credas arma, a fratre Tubalcaino fabricata, induere ausam, & variis inuentis, itidem nobilem?* Haec si non placent, *Iosephi* coniugem *Assenath*, sine dubio heroici animi feminam hoc schemate exprimi credas.

Iam

(uu) *Panthci mythici* P. I. pag. 41. edit. Erf. 1713.

(xx) *Historiae deorum syntagm.* IX. p. 296. edit. Lugd. 1696.



Iam satis quidem proposito meo fecisse videri possem. Verum duo saltem e codice sacro argumenta, etsi per se rem non confici-entia, tamen cum reliquis belle conspirantia, non fuerunt omittenda. Primum a cognomine honorario petitur, quod Pharaon tribuit Iosepho, צפנת פענח, quae verba *arcanorum interpretem* significant, (yy) & non solum in futurorum ex somniis indicem, sed & litterarum, arcana pectoris expromentium, inuentorem egregie competunt. Alterum e verbis *Davidis*, (zz) potentiam & sapientiam Iosephi tamquam summi Aegypti gubernatoris & doctoris, interprete *Seb. Schmidio*, ita euehenti: *Posuit eum dominum domui suae, & dominantem in omnem possessionem suam: ad vinciendum principes ipsius iuxta arbitratum suum, & seniores ipsius ut erudiret.* Iam ad verbum מוכח ita commentatur *GEIERS*: *Suggerendo videlicet ea, quae tum ad meliorem reip. statum, tum ad superstitionum ac idolomaniae abrogationem conducebant. Vix namque vero simile est, Iosephum in astrologicis, mathematicis, politicis, aut iuridicis solum instillandis substirisse, adeo ut nihil omnino tentaret in emendandis crassis Aegyptiorum erroribus circa religionem. Cet. Cui nunc, quaeso, potius tribuemus diuinum litterarum inuentum, quam viro diuina sapientia praedito; quique Aegyptiorum sapientes etiam in mathematicis, (characterum autem inuentio, uti vel ex Algebra patet, Mathesi maxime propria est) instituisse creditur? Quae ipsa institutio scriptis etiam commodius, quam ore, fieri potuit. Nec enim quisquam e cathedra docuisse Iosephum sibi persuadebit. Accedit, quod antiquissimas omni-*

(yy) *IO. ALB. FABRICIVS* Cod. pseudopigr. V. T. p. 768. *Arcanorum interpretem* & equi significari illo vocabulo, doctissimi interpretum Iudaeorum Christianorumque consentiant: de quo plura qui legere velint, praeter eos, qui in *Genesis* commentati sunt, adhibet *Io. Gregorium Anglum* cap. 16. *Observat.*

*sacr. T. IX. Critic. sacr. Aug. Pfeifferum* in dissertatione *Dubitiis eius vexatis subiecta. Vitrinam* lib. 1. *Observat. sacr.* p. 67. *Bochartum* in *Phaleg* p. 67. *Kircherum* in *Prodr. mo Copto* p. 125. *Cet.*  
(zz) *Psalmo CV.* 21.

d

omnium litteras *Hebraicas*, easque paulo ante Mosis tempora inuentas, statuat CL. HEVMANNVS: (*aaa*) qui heic quidem substitit: gaudebit autem, (noui enim animum Viri arcto adfinitatis vinculo, & communium studiorum cultura mihi coniunctissimi,) quod equidem progressus sim paulo longius, & ad facis ab ipso praelatae lucem conspexerim inuentorem harum litterarum Iosephum, gente & religione Hebraeum, maximum orbis lumen, dignissimum, cui tot manifestis indiciis tribuatur gloria inuenti, omnium saeculorum admiratione dignissimi. At obiicere possit, cui lecta sunt *Heumanniana Acta philosophorum*, (*bbb*) minime ipsum meae sententiae suffragari; cum argumenti loco, quod Iosepho etiam ignota fuerit litteris numerisque aliquid consignandi peritia, adducat locum illum, *Gen. XLI. 49.* quo Iosephus desuisse dicitur frumentum coarceruatum numerare, cum non esset eius numerus. Sed salua res est: desuit numerare frumentum Iosephus, non quod numeros consignare nesciuerit: (coepit enim numerare, & numerum certis characteribus, quippe qui dudum ante inuentas litterarum figuras, urgente necessitate, adhibiti sunt, notare, per ministros huic rei praefectos:) sed quod in tanta copia vndique aduecta fuerit annonae, vt adcurate ei dimetiendae, vel & rationibus eorum, quae in tot horrea congesta fuerant, absque confusione subducendis non suffecerint rei frumentariae procuratores. Immo si vel maxime largiamur, nondum eo tempore inuentas fuisse litterarum notas, quibus numeri, vti aliae voces, sigillatim perscriberentur: non tamen inde sequitur, quod postea, & quidem ab ipso Iosepho, non fuerint inuentae. Neque sententiae meae obstat, quod Iosephus, patrem & fratres ad se in Aegyptum inuitaturus, id nec fecisse legatur, nec fecerit per litteras. Has scilicet eo tempore nondum inuenerat: & si vel maxime inuenisset, frustra tamen misisset, quas pater &

(*aaa*) *Histor. litter. Cap. III. §. VIII.*

(*bbb*) *Parte V. dissert. I. §. 30.*

& fratres legere nescirent. Si obiicias: at Moses non scribit, litteras a Iosepho esse inuentas: respondeo: Moses etiam non scribit, Iosephum fuisse communem Aegypti praeceptorem; id quod testatur Dauides; & litteras ab Hermete Aegyptio, qui est ipse Iosephus, inuentas testantur, Diodorus, Cicero, & hosce secuti Eusebius, Lactantius, Arnobius, alii. Praeterea communi opinioni, inuentionem litterarum ipsi iam Adamo tribuenti, non obstat silentium Mosis: ergo nec huic tam claris argumentis demonstrato adferre ob stare debet. Iam si eruditorum, praeiudicata illa opinione, ac si fieri non possit, quin Adamus inuenerit litteras, haud occupatorum, calculo comprobata fuerit mea disquisitio, erit, quod gaudeam: sin minus; non erit, quod doleam; cum cuilibet in his suo sensu abundare, mihi que voluptate, ex iucunda huius rei inuestigatione percepta, nemine prohibente, frui liceat. Hoc vnum addo: omnes qui calamo victum, famam, honores quaerunt, ac tuentur, immo qui scribendi ac scripta legendi peritiam sunt consecuti, ad gratias pro insigni et admirabili hoc beneficio, pia & grata mente Deo agendas, esse obstrictos. Et facient hoc, quibus cor sapit, & prae ceteris facient illi, qui recte perpenderit, quam misera sit conditio non solum haec ignorantium, sed & eorum, qui singulis, adeoque innumeris ferme characteribus singulas voces exprimere, & proinde maximam aetatis partem in iis addiscendis conterere coguntur; vti Sinesibus eruditus vsu venit. Equidem nihil me peccaturum arbitror, si auctor fuero auditoribus meis, vt cum alias, tum maxime, quando in fastis dies Iosephi nomine insignitus recurrit, qui est XIX mensis Martii, natalitia quasi artis scribendi celebrent, de insigni hoc beneficio pie cogitando, & summo Numini gratias hilari pectore perfoluendo.

VII. Transeo nunc ad inuentionem chartae, non antiquissimae illius e papyro Aegyptiaca; <sup>(ccc)</sup> sed eius, qua hodie

(ccc) De papyro, siue biblo Aegyptiaca, (vnde nomen τὸν βιβλον; vti & liber Latine dici d 2

die vtimur, quaeque ex linteis detritis, concisis, contufis, maceratis, in pultem redactis, insigni artificio conficitur: quae si reperta, & tam leui pretio parabilis non effet, longe minor foret vsus artis typographicae. At huius inuentor plane ignoratur: antiquitas autem vltra octo abhinc saecula haud extenditur. Nec equidem habeo, quae solerissimi MONTE-FALCONII <sup>(add)</sup> obseruationibus addam: compendio igitur adscribam, quae hicce hanc in rem adnotauit. Inter alia, de recentioribus codicibus chartaceis memorata, incidisse se scribit in bibliotheca regia Parisiensis in codicem e *charta bombycina*, hoc est, vti ipse explicat, *cutturinea*, ad cuius calcem nota anni **CIDL** fuerit scripta: **LAMBECIO** <sup>(eee)</sup> recenseri codicem bombycinum, anni **CIDLXXXV** expressam notationem cum calligraphi nomine habentem. Variis in bibliothecis, & nominatim in regia Parisiensis, exemplaria quaedam esse bombycina, quae ex characteris forma decimum saeculum praefereant. Certum itaque esse, quod hocce iam saeculo in charta bombycina scriptitatum fuerit. Saeculis, decimo, vndecimo, duodecimo, non ita multos codices in bombycina charta scriptos deprehendi, sed plerosque membranaceos esse: decimo tertio autem, & sequentibus, magis obtinuisse vsum scribendi in charta bombycina; inuectumque illum videri, cum

papy-

dicitur, quod paginas haberet e libro seu cortice arborum; & nostrum *Buch*, a cortice fagi deriuandum) nec non de aliis chartae generibus copiose admodum & erudite egit MELCHIOR GVILANDINVS libro, cui titulum fecit, *Papyrus, h. e. Commentarius in tria C. Plinii Maioris de Papyro capita*: cuiusque prima editio prodijt Venetiis 1572. altera, recentente Henrico Salmuth, *Ambergae* 1613. Argumentum huius libri eleganti compendio exhibet IAC. FRID. REIMANNVS in *Idea systematis antiquit. liter. p. 284. seqq.* Labet inde saltem descriptionem pag. 291. modum conficiendi chartam

e papyro excerpere. *Caulis papyri, amputatis extremitatibus, ut pote minus ad chartas conficiendas idoneis, diuidebatur secundum longitudinem in duas partes aequales, a quibus postea abripiebantur singulares philyrae, seu bractae, quae quo longius ab extimo scapi cortice distabant, eo erant praestantiores, & quo cortici adpropinquabant magis, eo deteriores; vnde varia chartarum genera adparabantur.*

(add) *Palaeogr. Graec. lib. I. cap. II. pag. 18.*

(eee) *Biblioth. Vindob. lib. V. p. 78.*

papyrea Aegyptia & corticea sensim exolescerent. Paria fere sunt, quae MABILLONIVS (fff) hac de re habet. E quo non nisi sequentia adiungo: esse, qui libros linteos, T. Liuii aliisque scriptoribus rerum Romanarum memoratos, eosdem existiment cum charta nostra vulgari; sed hos linteos dictos, quod in telam linteam descripti essent, quales hodie a pictoribus adhibeantur: chartam autem nostram recentiorem ex linteorum quisquiliis confici: quo vero tempore haec inuenta sit, neminem haec tenus definire ausum. Quod PANGIROLIVS, & commentator eius SALMVTHVS (ggg) hac de re nihil habeant, Montefalconio & Mabillonio ignotum facile credent eruditi. Si HERMANNI HVGONIS *librum de prima scribendi origine*, quam ad Adamum cum plerisque refert, consulas, eo ipso capite, (bbb) quo de primo vsu chartae, eiusque variis generibus & adpellationibus agit, ita eum respicientem hasce minutias videbis: *Chartarum autem confectio, quia non tam est considerationis criticae, quam artificii mechanici, visa est non facere operis huius instituto, eaque re praetermittenda.* Ceterum quod ad chartae Aegyptiacae primam inuentionem attinet, (quam equidem, si Mercurius eiusdem inuentor memoraretur, Iosepho etiam adscriberem) laudatus iam GVILANDINVS (iii) contra Varronem & Plinium demonstrat, longe ante Alexandri M. tempora chartam ex papyro esse factam; immo nec Homerum quidem aut Hesiodum eam ignorasse.

VIII. Postquam praeter aliarum artium natalitia, de arte Vulcania, de arte scribendi, & chartam conficiendi, e quibus dudum praeuiis tandem enata est ARS TYPOGRAPHICA, quae memoratu digna videbantur, in medium attulimus; de hac ipsa etiam nonnulla erunt adiungenda. Atque heic

d 3

non

(fff) *De re diplomat. lib. I. cap. VIII.*

(ggg) Conferri interim potest, *Rerum memorabilium Part. I. tit. XXXVII, & Part. II. tit. XIII.*

(bbb) *Cap. IX. p. 98.* Sed est ea propter a C. H. TROTZIO, qui nitidam & variis accessionibus auctam huius libri editionem, Trai. 1738. emisit, notatus.

(iii) *Membro II. de papyri antiquitate.*

non possum non, elogium eius e MAITTARII *Annalibus typographicis*, <sup>(kkk)</sup> opere splendido & copioso, praemittere, quod ita habet. *Falso questos de arte typographica nonnullos accepimus, quod ex ea plus mali, quam boni ortum sit; quod plerosque labore, quo in describendis codicibus exercebantur, suntque, quem in coemendis manuscriptis faciebant, leuatos, desidia inuasit, quod vitia multa in litteras, multa in mores fuerint disseminata. Nam contra reputando, neque operosiore artem neque utiliore inuenias; magisque arti curam diligentiamque hominum, quam iuuandi facultatem deesse; ideoque ad corrumpendum, quidquid est, sua natura optimum, plus valere deprauatam mortalium indolem, quam artem per se beneficam & salutarem sanis moribus, aut bonis litteris obstare; usum rerum omnium non ab ipsis rebus, sed ab utentis animo, qui vitae dux est & imperator, vnice pendere. Si prima, quibus Typographia inuenta est, tempora repetamus, eademque cum illis, quae praeuierunt, conferamus; constabit, multis retro ante illam repertam saeculis spissam passim incubuisse ignorantiam, Graecas penitus exoleuisse litteras, Latinas incultas & neglectas iacuisse, barbarum quemdam pro Romano in scholas irrepsisse sermonem, solecismorum squalore, & foedo inscitiae situ horrentem: illa vero exorta, & facem quasi praeficiente, discussas paulatim euauisse tenebras; coepisse statim omnes eo loci, vbicumque lux illius adfulserat, confluere; ad meliorum disciplinarum studium, ad famam, immo & honores via doctrinae grassari; veterum deponere, artibus fideliter excultis mores emollire, & ab agresti feritate ad humaniorem cultum reuocare. Visa est nouum quodammodo cultum induisse natura, & in obscurorum virorum locum clarior eruditorum succreuisse soboles. Optime de litteris ageretur, si nostrorum temporum typographi, hortatu & subsidiis virorum nobilium doctorumque excitati, cum veterum typographorum exempla intuerentur, vehementissime animum ad artem pulcherrimam accenderent: si, memoria laborum, ab iis in re typographica exantlatorum, ea flamma in pectore cresceret, neque prius se-*  
da-

(kkk) Tomi III. parte priore p. 1.

daretur, quam sua industria eorum famam atque gloriam, si non vincerent, saltem adaequarent. At quotus quisque omnium nunc inuenietur his moribus, quin lucro quaestuque, non peritia, & litterarum studio, cum illis veteribus contendat?

IX. Promissam in fronte huius commentationis breuem primae inuentionis atque incunabulorum artis typographicae historiam nunc quidem exhibiturus, non tam meis, quam operosi *Annalium eiusdem conditoris*, MAITTAIRII, & primarii inter nostrates theologi & Polyhistoris, v. E. LOESCHERI verbis, in compendium contractis, fidem exsoluo. Ita autem initio operis sui scribit MAITTAIRIVS: *Plerique bonae fidei scriptores id fere consentiunt, anno circiter CIOCCCCXXX de arte illa primum cogitatum; eamque tum mente sola conceptam pensitatumque, omni deinde instrumentorum, quae opus essent, superlectile comparata, per varios annorum non paucorum conatus, post multas subinde abortiones, & elusa nonnumquam, ad successum aliquando feliciorum perducta tentamina, ematuruisse tandem: & postquam se ex his inuolucris expediisset, anno CIOCCCCLVII. assiduo labore & constanti industria obstetricantibus, exortam fuisse. Quidquid ante hunc annum impressorum librorum a quibusdam venditatur, non temere admittendum est in Artem typographicam. Haec huiusmodi multa opera ad artem aliam referenda sunt, sculpturam scilicet, iam diu cognitam, & in usu creberrimo frequentatam. Haecenus ille. Hanc ipsam vero sculpturam, imagines & litteras in lignea tabula excisas repraesentantem, non solum LAURENTIVS KOSTERVS *Harlemensis*, qui eiusdem circa annum CIOCCCCXXX inuentor fertur, sed & ipse IOANNES GVTTENBERGIVS *ortu Argentoratensis, habitatione Moguntinus*, exercuit, & integris tabulis buxeis, *Vocabularium Catholicon* expressit. Ei rem diu voluenti & reuoluenti, nec impensis sufficienti, IOANNES FVST, siue FAVST, *ciuis Moguntinus*, opibus & ingenio pollens subuenit, typosque singulares, praecipuum artificii instrumentum, ex ligno primum factos,*

factos, ex aere primus efformauit. In exercenda hac noua arte operis quibusdem vsus est **FAVSTVS**, in quibus fuit **PETRVS SCHOEFFER**, *Gernsheimensis*, qui rationem inuenit, qua characteres matrici, vt vocant, inciderentur, & ex ea funderentur: alphabetum hoc modo fufum cum **FAVSTO** ostenderet, adeo ille exhilaratus est, vt ei protinus filiam vnicam, *Christinam*, desponderet. Quamuis autem etiam in hoc genere characterum difficultas aliqua oborta esset, propterea, quod materia mollior esset, quam vt pressurae resistere posset, tamen mox eiusmodi mistura inuenta fuit, quae vim preli aliquandiu sustinere potuit. Atramenti impressorii inuentionem **SCHOEFFERO** alii, alii **GVTTENBERGIO** tribuunt. Sic collatis singuli symbolis iunctisque copiis trium viri rei typographicae nauiter curandae incubuerunt, donec dissidium, vt fit, inter **GVTTENBERGIUM FAVSTVM**que lucri peperit auuiditas. Res est in iudicium deducta anno **CIOCCCCLV.** & condemnatus **GVTTENBERGIVS** ad soluendam, quam praeceperat, pecuniam, & debita, quae typographici negotii causa **FAVSTVS** contraxerat, pro rata sua parte luenda. Hinc factum, vt **Moguntia** ille relicta, **Harlemum** se conferret. Heic vero artem recens inuentam exercitasse memoratur anno **CIOCCCLIX.** Interim **Moguntiae** strenue in expolienda ea perrexerunt **focher IO. FVST**, & gener **PETRVS SCHOEFFER**, quorum etiam nomina, misso, qui iam e societate discesserat, **GVTTENBERGIO**, sunt adscripta **PSALMORVM CODICI**, edito anno **CIOCCCCLVII.** qui primus omnium liber est, in quo notata reperiuntur, cum anno impressiois, nomina artificum. Ceterum primum specimen typographicum proprie dictum, **BIBLIA** nempe **LATINA** iam anno **CIOCCCCLII.** absoluta creduntur. Mitto reliqua, ad incunabula & propagationem typographiae pertinentia, quae laudati duumviri <sup>(II)</sup> pluribus enar-

(II) Adlato artis typographicae elogio, quorum plura, passim apud auctores occurrunt, cumulare, aut noua concinnare nihil attinet, similem Cl. **IAC. BVCKARDI**, iis, qui



enarrant. Verbo faltem mentionem, plerisque historiae typographicae scriptoribus omissam, in iicio tristis vrbis Montuguntinae (mmm) fati, quo illa, exeunte anno MDCCCLXII. ab

qui iuvenes in scholis & gymnasiis bonis litteris imbuunt, magna voce tristique peccatore ingeminandam, hisce etiam temporibus, querelam, de bibliopolarum quorundam, suum tantum ex eruditorum laboribus & officinis chalcographicis lucrum captantium, publica autem, et speciatim studiosae iuuentutis commoda fusque deque habentium, peruersitate subiungo: quae vti nam, sicuti horum hominum auriculas, vt cum satyrico loquar, mordaci radere vero apta est, ita & frontem rubore suffundat, & animum ad meliora exstimulet. Ita autem ille habet: *Merito praestantissimi hi viri, (IOACH. CAMERARIVM, IO. RIVIVM & GE. FABRICIVM dicit) In aetatis suae typographorum infectiam, vel impudentiam potius inuicti sunt; qui, quum auctores ediderint, vel iniuria temporum & librariorum incuria, vel sua insuper negligentia deprauatissimos, recognitos tamen eos euulgari ab se, gloriari soliti sint. Ingenue simul confessi sunt praestantissimi isti optimeque de posteritate promeriti viri, se Germaniae principum focordiam, aut lenitudinem faltem, demiratos saepius esse, quin libros exudentium ista ratione dignam flagris ignorantiam & temeritatem, pro iure suo, coercendam curarint: qua factum sit, ut eximii quidam optinaeque notae scriptores adeo corrupti, misere adeo foedeque contaminati, prodierint. Quod si fieri posset, ut optimi isti viri in vitam reuocarentur; quid, quaeso, de Germaniae bibliopolis, qui nostra aetate viuunt, horumque impudentia, ac turpissima lucranda cupiditate, indicatuos eos, putemus? quum auctores veteres obrudant hodie scholis, qui non solum innumerabilibus mendis scatent, sed in quibus etiam integra cola, suae membra,*

*integrae periodi, quid? quod integra interdum capita, omissa sunt. Improbissimi enim lucri cupidi homines, ne id quidem exiguae maxime impensae genus, facere amplius sustinent, quo curetur, vt auctores ab operarum, siue typothetarum, mendis repurgentur; & emendati in puerorum atque adolescentum manus perueniant. Quo maioribus laudibus nos hodie Voegelini, Wecheli, Commelini, Porini, Frobenii, (vt Aldos, Stephanos, Elzevirios, aliosque exteros typographos, sileam) industriam ac curam prosequimur; & quo pluris veterum auctorum, quas ii nobis dederunt, editiones aestimamus: eo magis illorum nomina, quorum sumitibus tot mendis inquinatissimae protrusae nostra aetate sunt auctorum editiones & adhuc protruduntur, ii, qui post nos nascuntur, detestabuntur; & eo vehementius ipsorum editiones contemnent atque reuicent, turpissimam istam lucranda cupiditatem execraturi. Dementer videlicet credunt homines isti, quum Scholis destinati sint auctores, non esse quod in emendandis his tantum curae suscipiatur ac laboris, quod vel leuis erogetur impensa. De saeculi nostri genio ex incuria eiusmodi iudicari quodammodo posse, mihi videtur.*

(mmm) Auctores plerique, MORHOFFIO, FABRICIO, STRVVIO, HEVMANNO, magnis orbis eruditi bibliothecariis, aliisque laudati, de arte typographica qui scripserunt, elogia eius larga manu, nec immerito, spargunt. In manibus iam iterum sunt, ex editione Reyberiana, IO. SCHMIDII theologi Argentorat. tres conciones huc facientes; nec non Oratio I. H. BOECLERI. Artis scribendi encomia, in exhibitionem typographicam etiam conuenientia, collecta sunt in praefatione, HERM.

H V G O .

e

ab Adolpho Naffouio, archiepiscopatu a pontifice Pio II. de-  
iectum Dietherum Isenburgium superante, repentina irruptione  
occupata, misere adfecta, & perditis ciuitatis imperialis iuri-  
bus, plane sub iugum missa est: vnde consecuta, in orbis eru-  
diti commoda, artis typographicae propalatio, atque per ar-  
tifices secundarios, qui Moguntiae eam exercuerant, in prae-  
cipuas Europae vrbes introductio. *(nnn)*

X. De typographis celebrioribus, KOBVRGERIS, IEN-  
SONIIS, ASCENSIIS, BOMBERGIIS, MANVTIIS, FRO-  
BENIIS, OPORINIS, COMMELINIS, PLANTINIS, GRY-  
PHIIS, WECHELIIS, ceteris, quam additurus eram, florum  
spansionem, obseruationibus minus in vulgus notis; quaeque de  
OFFICINA REYHERIANA, auspiciis PRINCIPVM OPTI-  
MI, ERNESTI PII, a rectore Gymnasii Gothani immor-  
taliter promerito, ANDR. REYHERO, possessore, anno  
CIDIOCXLIII. hanc in urbem introducta, commemorare  
statueram, ea arctum harum paginarum spatium non capit.  
Dabitur tamen, vti spero, posthac etiam illa attextendi occasio.

XI. Debebam etiam, mihi que proposueram, pluribus  
ostendere, qui factum sit, Argentoratensium, gloriam in-  
uentae artis typographicae prae Moguntinis sibi vindicantium,  
ambitione praepostera, vt ante hos centum annos celebratum  
fit, iamque adeo iterum celebretur inuentae huius artis festum  
faeculare natalitium; cum rectius, consentientibus viris cla-  
rissi-

HVGONIS libro, supra citato, ab editore  
TROTZIO praefixa. Ex illis argutum illud  
ERYCII PVTEANI huc saltem transcri-  
bo. Sed quos limites solertia humani pati-  
tur ingenii? Postquam primum sine naturae,  
sive industriae miraculum cuius, loqui: ten-  
tauit quisque etiam sine voce loqui. Linguae  
orisque voces in manum translatae sunt, &  
fermonis picturam niueum papyri aequor ex-

cepit. Parumerat, indicium animi ministerio  
formare Vocis, nisi & absentes posterique audi-  
rent. Prorsus imperfectum linguae ingenium  
mortales censuerunt, nisi & calami vsus ac-  
cederet. Quam vero id arduum, loqui, etiam  
cum non loqueris. Cet.

*(nnn)* Vid. SCHELLHORNII *Amoenit.*  
*litter.* tom. VII. p. 286. LEHMANNI  
*Chronicon Spirense lib. VII. cap. 107.*

riffimis, exacto demum decennio, anno nempe CIOIOGCL  
vel, si primum illud, anno CIOGCCCCII in lucem editum  
specimen, typis mobilibus exscripto codice biblico, spectes,  
anno CIOIOGCLII celebrandum veniat. (ooo) Sed & heic mi-  
hi iam occinitur illud: *manum de tabula.*

XII. Nihil ergo superest, nisi vt paucis indicinam faciam,  
qua ratione in Gymnasio Gothano natalitia illa, non nisi in-  
tegro elapso saeculo recurrentia, celebrari iusserint ILLV-  
STRES AC VENERANDI REI SCHOLASTICAE AC LIT-  
TERARIAE CVRATORES, a quorum nutu & auctoritate  
pendemus. Nempe id negotii datum est CLARISSIMO  
GYMNASII PROFESSORI,

HENRICO BLVMENBACHIO,

vt orationem huic instituto conuenientem in panegyri  
sollemni habeat.

Latine igitur *Artis typographicae laudes ille enarraturus, &*  
*crimantium voculas confutaturus est.*

Tum

(ooo) In omnibus libris antiquis, anni,  
quo vere inuenta est ars typographica, men-  
tionem facientibus, non quadragesimus, sed  
quinquagesimus saeculi XV. annus memora-  
tur. Non transcribo, quae hanc in rem  
attulit WILH. ERNST TENZEL im  
Discours von Erfindung der loeblichen Buch-  
drucker-Kunst in Deutschland, bey Gelegen-  
heit ihres anscheinenden fünften Jubel-Jahrs,  
Gotha 1700. Rechte nempe quemlibet an-  
num quinquagesimum Iubilaeum statuit, &  
artis typographicae natale anno 1450. adsi-  
gnat, Vnum saltem, aliis, quod sciam, non me-  
moratum, adduco locum, e versione Germani-  
ca Liuii, hoc tit. *Römische Historie Titii liuii* me-  
niglich, kürzweilich und dienßliech zu lesen,  
1, 14. *Moguntiae impressi, cui praefixa est de-  
dicatio ad Maximilianum I. Caesarem, quae  
in haec verba desinit. Solich werck allermech-  
tigste König (das zu vor an ewer künig-  
lichen maiestät zu eren, darzu Fürsten und  
Herren, auch gemeynden und Stetten teüt-*

*scher nation zu nutz in teütsch bracht, und  
in der löblichen Statt Mentz gefertiget und  
gedruckt ist) wöl E. K. M. gnedigklich uffne-  
men. in welcher statt auch ansenglich die  
wunderbar Kunst der Truckerey, und am er-  
sten von den kunstreichen Johann Gütten-  
bergk do man zalt nach Christi unsers her-  
ren gebürt Tausent, vierhundert, und fünfft-  
zig iar erfunden, und darnach mit steys kost  
und arbeyt Johann Faustens und Peter Schöp-  
fers zu Mentz gebessert, und beständig ge-  
macht ist worden. Darumb dieselbe Stat  
nicht alleyn bey Teütscher Nation, son-  
der auch bey aller welt in ewige Zeyt (als wol  
wordient) gepreyß und gelobt soll werden, und  
die Bürger und Twoner doselbest des billich  
geniesen. In calce libri haec leguntur: Ge-  
druckt und geendet in der löblichen statt Mentz  
durch vleysß Johann Schöpfers Buchtrucker da-  
selbst uff sant Bartholomeus abent. Nach  
Christi unsers heren geburt Tausent Fünff-  
hundert und vierzehen iare.*

QK Ta 484 X 250 1383  
 O

Tum etiam placuit, vt POETA APVD NOS NOBILIS,  
 ET IVRIS PRACTICVS,


IO. FRIDERICVS RVHKOPF, HANOVERANVS,  
*compositum in diuini beneficij praedicationem carmen saeculare Teuto-  
 nicum e cathedra recitet.*

Huic igitur actui tam singulari, tam sollempni, tam religio-  
 se ac splendide alibi etiam celebrato, vt frequentes interesse  
 dignentur ILLVSTRES AVLAE PROCERES, REI ECCLE-  
 SIASTICAE ET SCHOLASTICAE GOTHANAE STATO-  
 RES, CVRATORES, FAVTORES OBSERVANTISSIME  
 COLENDI, NEC NON AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI,  
 HVMANISSIMI, QVI GOTHAM LITTERATAM EFFI-  
 CIVNT, ET EXORNANT, VIRI, MVSARVM DENIQVE  
 CVLTORES OMNES, TYPOGRAPHICAE ETIAM ARTIS  
 BENEFICIO PERPOLITI, qua par est reuerentia, &  
 quo decet, studio, non Viri solum nobilissimi, meritaque  
 laude florentissimi, artem, Musarum nutriculam, feliciter apud  
 nos exercentis, Gothamque cultiorem officina instructis-  
 sima cohonefantis, sed & publico nomine,  
 oro atque contendo.

---

P. P. D. X. IVL. A. CIOIOCCXL.





Farbkarte #13

B.I.G.

QR. 520.

B. m. II, 449. R. m. II, 7

IIa  
481

COMMENTATIO  
DE  
NATALITIIS ARTIVM  
SPECIATIM  
ARTIS TYPOGRAPHICAE  
INVITATIONI  
AD PANEGYRIN SOLLEMNEM  
FESTO HVIVS SAECVLARI TERTIO  
AVSPICIIS  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI  
**FRIDERICI TERTII**  
DVCIS SAXONIAE  
IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE ET WEST-  
PHALIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE, MARCHIONIS MIS-  
NIAE, PRINCIPIS DIGNITATE COMITIS HENNEBERGIAE,  
COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE  
RAVENSTEINII ET TONNAE  
DOMINI NOSTRI ET PATRIS PATRIAE  
CLEMENTISSIMI

DIE XI. IVL. A. CIO IO CC XL.

HORA VIII. MATVINA

IN ILLVSTRI GYMNASIO GOTHANO  
HABENDAM

PRAEMISSA

A

IO. HENR. STVSS

GYMN. RECT. ET SOCIET. REG. PRVSS. SCIENT. SOC.

GOTHAE  
LITTERIS REYHERIANIS.

